

Judæos qui erant Antiochiæ, sed & ipsum Barnabam in eandem hypocrisin & simulationem abripuit v. 13. VII. *Quia* factio & exemplo suo gentes conversas Judaizare coëgit v. 14. VIII. *Quia* Judæos infirmos, necdum satis in articulo de libertate Christiana informatos in erronea sua opinione, quasi discrimen ciborum, aliaque Legalia ad consequendam æternam salutem observatu sint necessaria, confirmavit. IX. *Quia* Paulus non obstante Apostolica ejus dignitate & spiritali fraternitate vel multorum offensione, *in faciem & coram omnibus* eum redarguit; & *satis acriter* (fatente ipso Bellarmino loco supra citato, sect. antep.) *reprehendit*, quod sane non fecisset, si Petrus factio illo peccatum non commisisset. X. Denique *quia* factum Petri favebat doctrinæ falsorum doctorum, qui passim Ecclesiis gentium obtrudebant ceremonias Mosaicas, quasi sine illarum observatione non possint in Christo salvari. Male ergo Hieronymus Petrum a peccato liberat, cujus a Paulo accusatur, ejusque opinio textui diserte adversatur.

§. III. Rationes autem, quæ pro hac opinione afferuntur, potissimum hæ sunt. I. ait Hieronymus, quod ipse Petrus recte de hac causa in Synodo Hierosolymitana pronunciaverit, Actor. XV. 10. II. imo autor fuerit illius sententiæ, in quam hic peccasse dicitur. An Petrus immemor decreti Apostolici lapsus in hypocrisin? Subscripserat Epistolæ Synodice Antiochiam ex Concilio missæ, de non imponendo Ethnicis præter necessaria quædam: Sed respondemus, quanquam in dubium ab Augustino vocetur, priusne an post Concilium contentio hæc inter Paulum & Petrum inciderit, nos tamen narrationis Paulinæ ordinem sequuti, Hieronymi sententiam admittimus, illamque contentionem post Concilium Hierosolymitanum contigisse concedimus. Sed hoc ipso eo gravius peccavit Petrus, cum propria dogmata evertat vitæ suæ exemplo & scandalosa sua conversatione. Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. II. Inquit Erasmus in annotationibus; Petrum non posse culpari in eo, quod bona animi intentione fecit, quodque secundum se malum non erat, sed tale duntaxat, cujus occasione malum aliquod proveniret scil. scandalum gentilium. Hoc autem non magis Petro imputandum, quam si scan-